

Wc
389



H. 6
I
I
I
Q



n. 65, 28.

Nat. 47838

EPICEDION IN FVNVS

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC

DOMINI, DOMINI IOANNIS FRIDERICI TER TII,

Ducis Saxonie, Lantgrauj Thuringie, & Marchionis

Misnie, qui pridie Calendas Octobris circiter decimam

vespertinam placidè in Christo obdormiuit

Ienæ, Anno Domini 1565. Ætatis

sue septimo & vicesimo,

Scriptum

Ad illustrissimos Principes & Dominos, Dominum Io-

annem Fridericum II. & Dominum VVilhelmum fra-

tres, Duces Saxonie, Lantgrauios Thuringie,

& Marchionis Misnie &c.

A

M. Friderico VVide-

brando.

I E N Æ

Excudebat Donatus Richtzenhain,

Anno 1565.





ILLVSTRISSIMIS PRIN-

214

CIPIBVS AC DOMINIS, DOMINO IO.
anni Friderico II. & Ioanni V Vilhelmo fratribus, Duce
cibus Saxonie, Lantgrauis Thuringie, & Mar-
chionibus Misnie, Dominis suis cle-
mentissimis.

Magnanimi proceres, heroica pectora fratres
Saxonicae geniti regia fulcra domus.
Tuta sub imperio quorum Thuringia Christum
Iuncta q̄ cum Misia Francica terra colit.
Munere cum vestro Salanis reddita Musis
Ocia, tot votis ante petita, vacent.
Hic vbi pampineas inter fragrantia valles
Casta per alueolos mella tuentur apes:
Saepe mei reputans quid contra muneris esset,
Grata pie mentis signa daturus eram.
Quem schola consortem quem dulcis patria ciuem
Participem tanti muneris aequa ferat.
Ni mea priuato gaudens operosa recessu
Mallet in obscuro Musa latere domi.
Nescia venales exponere sordida merces,
Aut aliud quiduis ambitiosa sequi.
Sueta gregi iuuenum sine quaestu condere carmen,
Sueta suos foetus grata dicare Deo.
Longa nouo tandem superata modestia luctu
Temporibus prudens cedere iussa fuit.

A 2

Ne ni-



125
415
Ne nimis ex vna studiosus parte decori
Negligat ex alia debita parte pudor.
Territa dum subito generosi funere fratris
Omnia cognati signa doloris alunt.
Curia, templa, scholæ, per rura per oppida vulgus,
Cum senibus pueri, cum puerisq; senes:
Et mihi, quam nollem, facundia mota dolore,
Exposuit mæsti cordis aperta sinum.
Quàm tota in patriæ mihi mens effusa fauorem
Obsequijs vestris officiosa vacet.
Ausa salutatum magnos accedere fratres,
Ausa semel patrio vota probare Duci.
Quòd mea si vobis malè carmina dedicat error,
Erroris vitium diluet omne dolor.
Qui mihi pro tanti mensura creuit amoris,
Culpa caret venia, quæ pietate caret.
Candida sin vobis erit acceptata voluntas,
Iudicij, qualem sperat, adeptæ locum:
Non indigna suo generis præconia vestri
Tempore pro meritis vberiora dabo.

Vestrae Celsitudini

addictiss.

Fridericus VVide-
brandus, Professor in
Academia Ienensi.

282

215

EPICEDION ILLVSTRIS-
simi Principis Ioannis Friderici III.
Ducis Saxoniae, Lantgrauij
Thuringiae, & Marchio-
nis Misniae.



*Sq̄ adeo lacrymis & acerbo plena dolore est,
Quæ manet humanum vita caduca genus.
Sic librata putri nutant mortalia filo,
Inq̄ suo æternum perstat honore nihil.*

*Res Deus humanas celeri quasi turbine versat,
Omne malum solus qui patiatur, homo est.*

*Et veluti virtus in corpore fessa senili
Pronior in morbos tempore victa fluit:*

*Sic onerata annis hæc mundi debilis ætas,
Quod dolet, ærumnis pluribus auget onus.*

*Parca sed interea rerum est mensura bonarum,
Quod iuuat, ante diem tollit iniqua dies.*

*Omnia dum spectant velut inclinata ruinam,
Stare sua porro nescia mole diu:*

*Vna salus terris vitæ præsentis ad vsum
Innumeris superest æquiparanda malis.*

*Ordinis & legum custos Politia sacrarum
Iudicis in terra munere functa Dei.*

*Quæ gladium vindex armatum iure, rebelles
Quo feriat, iustos quo tueatur, habet.*

A 3

Cui

58
C15
Cui comes incedens præfert Ecclesia lychnum
Hospitijs refert grata ministra vicem.
Sic Deus extremo mundi sub fine labantis
Reliquias iusti seminis vsq; fouet.
Quod pietatis amans culturam seruet honesti,
Et probet ex aliqua parte probanda Deo.
Felix hac etiam felix Germania dote,
Quantumuis aliàs omnibus ægra malis.
Inchyta cui semper cœlesti munere cessit
Vtilium series continuata Ducum.
Quorum præsidio stabilis Respublica, quorum
Tuta patrociniò templa scholæq; forent.
Ne quasi degentes inter spelæa latronum,
In quoduis raperet barbara vita scelus.
Quos inter celebri clarissima nomine fulget
Inchyta Saxonice gentis alumna domus.
Quæ pacis studium multos tutata per annos
Iusticiæ coluit cum pietate decus.
Atq; ministerij nutricula blanda subinde
Hospitium Christo relligiosa dedit.
Et quia grata Dei diffusa est fama per artes,
Promta pari doctas fouit amore scholas.
Vnde repurgato redijt lux integra verbo,
Sparsa per ingentes orbis vbiq; plagas.
Argumentum ingens diuini nempe fauoris
Artibus & verbo terra beata Dei.
Terra Dei regnum, quo non præstantius vlla
Natio, non populus, non domus vlla tulit.

Quæ

Quae verbo absentem complectitur hospita Christum;
 Presentemq; tamen sentit adesse fide.
 Cuius ad imperium Deus organa plena salutis
 Nominis in laudes excitat vsq; sui.
 Quae nisi contingant vestigia prima suorum,
 Ex aliqua studeant parte propinqua sequi.
 Fata sed hic etiam patriae velut inuida genti
 Non constare diu munera tanta sinunt.
 Dum velut ex acie nunc hic, nunc tollitur ille,
 Commoda qui poterant magna parare suis.
 Hei mihi, cur toties hoc in discrimine rerum
 Cernimus ex ista funera stirpe trahi?
 Quam penes ut primum capere exordia verbi
 Integra sic Christo continuante manent.
 Dum patriae nobis patre Confessore carendum est,
 Absentemq; vocant templa, theatra, scholae.
 Quod veluti currus, pariterq; auriga piorum,
 Quo Duce spes omnis salua manebat, erat:
 Nominis eiusdem velut & virtutis auitae
 Inde puer subiit fata propinqua nepos.
 Sic & Alexander cari spes magna parentis
 Ante diem fato praeueniente cadit.
 Quid loquar? En veteres renouat nunc hora dolores
 Funere Saxonici mæsta recente Ducis.
 Patris Ioannis Friderici tertius ille
 Filius eiusdem nominis alter obit.
 Ardua qui patriae tentans fastigia laudis
 Secula dignus erat viuere longa senex.

Quando



825
015
Quando secuturus pariter vestigia fratrum
Præsidium patriæ grande futurus erat.
Sed veluti spirans fragrantem suavis odorem
Flosculus è viridi splendidus exit agro.
Iamq; oculos pascit, nec dum sua semina frondens
Pandit, at abstrusas parturit intus opes.
Cum teneras rubigo comas aut ventus adurit
Aut nimia torrens diluit imber aqua.
Continuò fragili flaccescens germine marcet,
Collapsusq; caput molle reclinat humi.
Sic modò lustra annis transgressus quinq; duobus
Dux anima tantus deficiente cadit.
Conceptamq; diu nunc tandem mortuus aufert
Funere spem magnam præueniente suis.
Argumentum ingens diuinæ scilicet iræ
Tot generosorum mors inopina Ducum.
Quam licet hinc illinc muto velut ore loquantur
Plurima naturæ signa stupenda minis:
Lumina seu sursum cœlo sublimia tollas,
Seu loca respiciens inferiora notes:
Non magis vlla tamen cordatas omina mentes,
Atq; tot heroum funera crebra, monent.
Horribiles mundo pœnas instare, nouamq;
Mox faciem rerum, q̄ fuit antè, fore.
Sic Deus in Iuda perituros ante minatur,
Quos populi dederit fulcra Ducesq; sui.
Numine seu pleni promant mysteria Vates,
Et ciuile colant pacis in vrbe decus.

Sen

Seu foris expediant promptas ad praelia dextras,
 Ambiguus docti reddere rebus opem.
 Fulmina q̄ vindex mittat suprema furoris,
 A quibus immunes subtrahat ante suos.
 Sordida cum mundi fex hauriat altera feces,
 Ultima iudicio ponè relicta Dei.
 Nec caret exemplis, qui talia comprobat, usus,
 Plurima quin ætas temporis huius habet.
 Sic magis hæc præsens acuit præsagia luctus,
 Gloria quò maior Principis huius erat.
 Seu bona quæ fuerint naturæ propria, siue
 Quæ bona contigerint exteriora, notes.
 Quem genus è veteri deductum sanguine Regum
 Regibus illustrem pluribus ante tulit.
 Quòd decorare patres tantum virtute studebat,
 A patribus quantum traxerat ipse decus.
 Non sequar ex alto tantæ primordia stirpis,
 Cognita paucorum nomine tota liquet.
 Quanta Ducis fulsit Friderici gloria primi,
 Cui gena cognomen flebile morsu dedit?
 Nam quòd apud iustos hæredes patria, quondam
 Turpiter Imperio vendita, nostra manet.
 Auspicijs cuius Cæsar bis victus Adolphus
 Arripuit turpem non sine clade fugam.
 Fugit & Albertus victi successor Adolphi,
 Stragis vt indicium funèbre Lucca refer.
 Primus is è patrijs heros heroibus ausus
 Pontificum nugis obuius ire fuit.

B. Votaá.



285
115
*Votaq; reprehendens fieri Idolatrix Sanctis
Hoc voluit solum numen honore coli.
Nam fatuas cernens in scena quinq; puellas
Iudicium fontes triste subire Dei.
Quod prius ingressi stantes ad limina sponsi
Pulsarent vacua lampade serò fores.
Multà licet flentes Dinos in vota vocarent,
Nec caperet stolidas ipsa Maria preces:
Anxius & trepida turbatus mente propinquo
Ista sacerdoti verba locutus, ait.
Quid miseri indignis veneramur honoribus ergo,
Qui nequeunt animæ ferre rogantis opem?
Præua superstitione est, prece compellare sepultos,
Solutus honor soli competit iste Deo.
Mille Ducis tanti res fortiter edere gestas
Materies proprij Carminis ampla foret.
Huius item pronepos Fridericus quantus in armis,
Quàm fuerit recti, q̄ pietatis amans.
Quàm feruente bonas animo propensus in artes,
Nunc monumenta memor Lipsia testis habet.
Hoc autore sacrum siquidem fundante Lyceum
Sedenova Musis hospita tecta dedit.
Victor in indomitos cum duxerat arma Bohemos,
Fortia testatus vindice facta manu:
Inde Sigismundi data munere Cæsaris illi
Cum gladio Imperij Saxonis ora fuit.
Quid quòd Septemuir Fridericus in ordine Quartus,
Nomen ab euentu cui sapientis erat.*

Imperij

285
28

*Impērij cinctus fuerat Di ademate Cæsar,
Ni pius abnueret regia sceptrā senex.
Secula qui pacis pater intulit aurea templis,
Purus Euangelyj prodijt vnde sonus.
Exemplo proavi cum Musas duxit ad Albim
Eloquij famulas, magne Luthere, tui.
Inchyta quid memorem Friderici dona Ioannis?
Corpore qui quantus, pectore tantus erat.
Cui dedit augustum Christi confessio nomen,
Cuius in aduersa Symbola fronte tulit.
Quem nullis hostes, vt dogmata falsa probaret,
Flectere pollicitis nec potuere minis:
Quin ad carnificis stetit imperterritus ensem
Sicubi pro Christo mors obeunda foret.
Talibus heroum natalibus editus ille
Sanguinis expressit nobile stemma sui.
Semina virtutis generosa secutus auitæ,
Cui natura eadem, qualis origo fuit.
Hinc solerte trahens industrius indole pectus
Præditus arguto lumine mentis erat.
Totius vt regeret vitæ prudentia cursum,
Vtile virtuti iungere docta bonum.
Quam magis illustrem patris sapientia Christus
Iustificā rexit cognitione sui.
Accensamq; oleo cælesti Spiritus unxit,
Munera qui fecit crescere tanta fide.
Vt benè quod faceret diuino addictus honori
Fine salutari clauderet autor opus.*

B 2

Propo.

Propositiq; tenax causas vrgeret honesti,
Officij; volens ederet omne decus.
Sæpe licet varias illi cum Dæmone mundus
Obijceret remoras propria sæpe caro.
Non tamen illecebras cordis sectata voluntas
A vera passa est se ratione trahi.
Ne malè præuertens animum properata cupido
Cogeret erroris pœnituisse reum.
Sic agitata Dei virtute potentis in illo
Vina suos fructus est operata fides.
Ut pius in superos, mortales iustus in omnes,
Debita cuiq; loco conueniente daret.
Prima ministerij cui cura, secunda propinquæ,
Proxima priuatæ cura salutis erat.
Sic mens pura Deo, sic menti congrua lingua
Congrua sic linguæ, quæ faciebat, erant.
Seriæ res illi pietas, non indiga fuci,
Occultum tegeret quæ simulata dolum.
Omnia syncera deducens mente, volebat
Officiosa bonis, grata probare Deo.
Vita quidem magnis cumularat honoribus illum,
Vita potens qualis principis esse solet.
Frena gubernator patrijs quòd adeptus in oris
Fraternas socia lege regebat opes.
At non materiam dabat vlla potentia fastus.
Materiam luxus copia nulla dabat.
Cauta cohercenti rapidos moderatio motus
Prouida iusticiæ regula semper erat.

Sobria

Sobria sic miscens frugali pocula victu
 Præripuit vitij's pabula casta caro.
 Purus ut à fœda custos aspergine membra
 Assereret cœlebs intemerata pudor.
 Et cœlo propior precibusq; intenta vacaret
 Hospitium præbens mens generosa Deo.
 Quòd si pacis amans inglorius arma reliquit,
 Bella nec hostili cæde cruenta dedit.
 Ægra valetudo quòd inermes corporis artus
 Non sineret tanti ferre laboris onus:
 Non tamen imbellis caruit patientia laude,
 Prælia quæ gessit non graviora minùs.
 Dum mala naturæ tolerando maxima vicit,
 Dum mala fortunæ vicit acerba fide.
 Nam velut horrentes inter rosa consitas spinas
 Demittens pluuio rore grauata caput.
 Protinus æstiuo Solis siccata calore
 Explicat erectas rursus odora comas:
 Sic natura Ducis quanto præstantior huius,
 Hoc tentat à malis pluribus illa fuit.
 Quæ varijs illinc exercita corpore morbis
 Hinc animæ stimulis exagitata licèt:
 Sustentata tamen diuini numinis aura
 Impositæ nunq̃ cessit onusta cruci.
 Pressa sed ærumnis ingentibus vsq; renitens
 Quoslibet ad casus ingeniosa stetit
 Scilicet hæc cœli victoria digna triumpho
 Omnibus est palmis anteferenda Ducum.

B 3

Obuia



285
215
Obuia que quanto grauiores iuit in hostes,
Hoc maiora simul premia laudis habet.
Qui seipsum vincit, victorum maximus ille est,
Lucta decus summum spiritualis habet.
Regia conspiciens tractare negocia fratres,
Publica penderet ciuibus vnde salus.
Sine domi iustis munirent legibus vrbes
Complexi patrio templa scholasq; sinu.
Seu foris obijcerent armis hostilibus arma
Vindice tutantes subdita regna manu:
Ille pia subiens secretos mente recessus,
Aut dabat incoluni pro regione preces.
Aut opera euoluens interpretis ampla Lutheri
Dogmata discebat Biblica ritè sequi.
Quo mala fonte fluant generis contagia nostri,
Quo mala conueniat tollere tanta modo.
Excubiasq; trahens in somni sæpe cerebro
Falleret vt noctis tædia longa vigil:
Ad studium verbi nocturnas transtulit horas,
Vixq; dies clausit manè reuersa preces.
Sic, vt agant somni secura silentia ciues,
Se quoq; Thebarum Dux vigilare refert.
Iamq; petiturus suprema nocte cubile
Scripta iubet solito Biblica more legi.
Mortuus vt dudum sed Christi voce vocatus
Lazarus è tumulo mox rediuiuus eat.
Contigeratq; locum, quo iam præsaga propinquæ
Fontè loquens Christus mystica verba crucis.

Corpora

Corpora triticeo confert mortalia grano,
 Semina quod nunq̄, ni putrescat, agat.
 At madidis tectum glebis pluuiāq̄ solutum
 Fertile plura putri germine grana ferat.
 Sæpe monens illos æternam prodere vitam,
 Quos nimius vitæ retrabat huius amor.
 Quippe recepturos amplo cum fœnore vitam,
 Vita quibus Christi nomine spreta fuit.
 Quodq̄ sequi deceat Domini vestigia seruos,
 Atq̄ simul, passus quod fuit ille, pati.
 Quòd patrio tandem consors in honore minister,
 Iunctaq̄ sint capitis membra futura loco.
 Nec mora, supremæ momenta nouissima vitæ
 Vicinæq̄ notans mortis adesse diem.
 Alta pio gemitu mox cælo brachia tendens
 Has dedit in medio lætus agone preces.
 Euge tuam moriens quam sanguine trado redemptam
 In proprias animam suscipe Christe manus.
 Dixerat. Et veluti conuiuens lumina somno
 Mortuus extremum clausit in orbe diem.
 Quo prius ante nouem tribus annis auctaq̄ lustrâ
 Cæpit Euangely grande Lutherus opus.
 Cum nimis indulgens magno conamine magnas
 Ausus erat nugas vendere Tezelius.
 Hæc studia, hi iuueni mores, hic illius arma
 Hic equus, hic illi currus & arcus erat.
 Mille per ærumnas quibus eluctatus ab Orco
 Transijt optato saluus ad astra gradu.

Congrua



78-5
157
Congrua sic vitæ quoq; mors, sic exitus illi
Pacificus, qualis vixerat ante, fuit.
Talia cum Princeps iuuenilibus ederet annis,
Integra cum vicijis pluribus apta caro est.
Dona senex olim quæ, qualia, quanta probasset,
Ætas ingenio eum grauiore sapit?
Felix, hæc quisquis, cum debuit, arripit arma,
Omnibus & constans obijcit illa malis.
Conscia non illi scelerum mens saucia labe
Dira nec incutiet mortis imago metum.
Tela sed excutiens, quotquot vibrat ignea Dæmon,
In medio viuens funere saluus erit.
Tota cateruatim licet in nos montibus altis
Altior insurgat Lerna profunda Stygis.
His modò præsidijis vitæ cælestibus vsi
Cum studio verbi iungimus vsq; preces:
Victa statim fidei ceu Solis cera calore
Spontè retrò vanis viribus acta fluet.
Salue animas inter cælestes inclyte Princeps
Signaq; mæroris, quæ damus, ægra cape.
Quæ patris ad tumulum lacrymantibus vltima Musis
Nominis expressit gratia celsa tui.
Dum gratando tibi, tua nobis fata dolendo
Hinc amor attonitos distrahit inde dolor.
Nec benè diuersis mens dedita motibus vna
Munera, quæ vellet digna referre, refert.
Felix, innumeros cui finijt vna labores
Ianua quæ vitæ mors solet esse pijs.

Tu bona

Tu bona quæ fragili posuisti carne sepultus
 Nunc anima viuus splendidiora capis.
 Angelus ante Deum vita meliore renatus,
 Omnia qui plena sorte beatus habes.
 Quem noua cœlesti perfusum gloria luce
 Integra conformem reddit imago Deo.
 Cui data pro terris successit patria cœlum,
 Quò residem Christus, miserat vnde, locat.
 Inter vbi heroas cari datur ora tueri,
 Et serie longa stemma referre patris.
 Et proavos proauorum & qui numerantur ab illis,
 Saxonice quotquot signat origo domus.
 Quæ Bilioneus materni sanguinis autor
 Spinea Godfridusserta notanda refert.
 Nunc tibi notitijs mens omnibus integra fulget,
 Nunc numeris virtus omnibus æqua viget.
 Quæ natura prius varijs obnoxia nœuis
 Hinc animi morbis corporis inde fuit.
 Sordibus antiquis iam libera sanguine Christi
 Nescia peccati tota dolore caret.
 Gaudia pro breuibus curis æterna reportans,
 Letitiæ finem non habitura suæ.
 Quippe Deum celebrans in sancta sede piorum
 Ponit in hoc summum fine quieta bonum.
 Patris in amplexu regnantem cernere natum
 Et socio Christi fratris honore frui.
 Ergo supra cœli residens septemplicis orbes
 Atria dum ciuis disspicis ampla poli.

C

Terra=

45
Terrarumq; infrà sit quantula portio, cernis,
Exigua pendens assimilata pile.
De cuius moueant tot atrocìa puluere Reges
Bella, quibus cedat glebula parua soli.
Gaudia miratus mortalis inania vitæ
Ridiculas mundi reijcis huius opes.
Hæc ea cœlestis sunt aurea secula vitæ,
Illa suum nomen re quoq; vita sonat.
Non hic ambitio non tecta calumnia rixas,
Aut malè qui mentes occupet error, alit.
Integra, labe carens, concors Ecclesia pacem,
Qualis in hoc miseris orbe negatur, agit.
Solius in laudes vbi numinis omnia fiunt,
Vlla locum pietas nec simulata tenet.
Salue, viue, vale, quia iam tibi viua reperta
Vita, valetudo, viua reperta, salus.
Nos dolor interea miseros nos terror & error
Mille fatigatos hinc premit inde malis.
Donec ab hac etiam sublatus valle laborum
Participes cœli ducat ad astra Deus.
Quando resurgentes rediuiuo corpore tecum
Iudicis extremi stabimus ante thronum.
Cum Deus in sanctis erit omnibus omnia præsens,
Vnus & æquabit secula mille dies.

F I N I S.

682



183

Ac 389

A.C



ULB Halle

3


002 491 400



f







h. 65, 28.

Nat. 7658

EPICEDION IN FVNVS

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC

DOMINI, DOMINI IOANNIS FRIDERICI TER TII,

Ducis Saxonie, Lantgrauj Thuringie, & Marchionis

Misnie, qui pridie Calendas Octobris circiter decimam

vespentinam placidè in Christo obdormiuit

Ienæ, Anno Domini 1565. Ætatis

sue septimo & vicesimo,

Scriptum

Ad illustrissimos Principes & Dominos, Dominum Io-

annem Fridericum II. & Dominum VVilhelmum fra-

tres, Duces Saxonie, Lantgrauios Thuringie,

& Marchionis Misnie &c.

A

M. Friderico VVide-

brando.

I E N Æ

Excudebat Donatus Richtzenhain,

Anno 1565.

